

081

079

085

075

090

070

130

030

180

**Incipit Secundum Evagatorium F. F. F. ad Terram  
Sanctam in Jerusalem.**

**Secunda pars principalis totius operis.**

**E**vagari jam incipiam desiderabili et jucundissima Evagatione, quam quidem Evagationem hoc ordine describere intendo et distinguere in XII tractatus, secundum quod fere XII. mensibus evagatio duravit, et quemlibet tractatum in tot capitula dividere, quot dies veniunt in mense: ita quod quilibet mensis faciat tractatum et quilibet dies capitulum. Incipiam enim a die exitus mei usque ad redditum, et omnia loca quae vidimus de mense in mensem et de die in diem et quae contigerunt nobis singulis mensibus et diebus fideliter significabo: addendo descriptiones locorum tam sanctorum quam aliorum pro facti illius meliori declaratione. Non enim praetermisi (B) nec unum diem in itinere existens, quin aliquid scriberem, etiam in mari tempore tempestatum, in terra sancta, et per desertum saepe scripi sedens in asino, vel in camelio, vel noctibus, quando alii dormiebant, ego sedi et visa in scriptis deduxi.

Igitur cum tempus meum appropinquaret, quo recedere me necesse esset, observavi diem opportunum, in quo sine nota et multorum concursu Ulmam exire possem. Currebant enim noti mei et fautores et inquieti erant de recessu meo, meque plurimum turbabant suis dissuasionibus et curis inanibus et lamenta eorum erant mihi deliramenta, quia ita laetus et imperterritus fui, ac si ad convivium optimorum meorum amicorum invitatus transirem.

Die itaque XIII. Aprilis, quae erat dominica Misericordia domini, Anno 1483 ad vesperascente die venit nuncius missus ad me a generoso domino Philippo Comite de Kyrchberg, rogans me, quatenus sine dilatione in crastinum ad ipsum Comitem venirem, ad diffiniendum aliquas causas. Eram enim quasi paterfamilias domus, quia omnes de domo mihi confitebantur Comites et Comitissae, et quidquid difficultatis oriebatur, in quibus ego potui utilis esse, denunciabant mihi vel mittebant pro me: condixi ergo servo, quod in crastino secum pergere vellem.

Ende

Anfang

